§. I.

De actibus humanis.

POSITIONES.

Actus humanus ſive moralis eſt, qui procedit a deliberata ratione cum attentione ad regulas morum; ejus regulæ ſunt lex æterna, & recta ratio ſive conſcientia. Species bonitas & malitia. An etiam indifferentia? diſputatur: admittatur, per me licet, ſed ad practicam morum theologiam, quam tradere mei fori eſt, nihil facit. Principia moralitatis ſunt, objectum, circumſtantiæ, & finis ſcilicet operantis, quia ſpecialiter in actum influit, ſed quot ſint circumſtantiæ? has dabit caſus ſeptimus.

De voluntario.

I. Andreas 1. Se inebriat, in qua ebrietate uxorem ac proles percutit, etiam cum periculo occidendi. 2. habet fodinam cupri caſu aquis impletam, unde patitur damnum non modicum; cogitat ergo exhaurire aquam, ſed videns, ſe non poſſe ſine æquali damno proximi, hinc hæret ipſi aqua. Q. 1. quid & quotuplex voluntarium? Q. 2. quid ad 1? Q. 3. quid ad 2? ℟. ad 1. voluntarium eſt, quod eſt a principio intrinſeco cum cognitione finis. aliud per-aliud imperfectum, aliud neceſſarium, aliud liberum, aliud in ſe, aliud in Cauſa, aliud poſitivum, aliud negativum. ℟. ad 2. Si talia ſe in ebrietate perpetraturum præviderit, aut prævidere potuerit, quod paſſim habetur ex præcedentibus, tum omnia illa ſunt ipſi imputabilia ad culpam, quia voluntaria in cauſa, quam poterat, & tenebatur amovere, ſecus non . . . . . Sed quid de illo, qui prima vice ſe voluntarie inebriat ratione effectuum ex ebrietate ſequentium? ℟. ex S. Thoma. 2. 2. q. 150. a. 4. ⊙. dicente: *diminuitur peccatum ſequens, ſicut & diminuitur ratio voluntarii, unde Auguſtinus*

dicit

dicit contra Faustum (lib. 22. cap. 44.) quod Loth culpandus est, non quantum ille incestus, sed quantum ebrietas meruit. P. Billuart tom. XIII. pag. 294. edit. traject. dicit, non posse dici ipsi omnino involuntarios (effectus sequentes) quia fuit illi causa timendi, ne ratione privatus plura non facienda faceret: neque omnino voluntarii, quia non potuit certe prævidere aliquid mali, & quid mali faceret. Unde censeo, peccata inde commissa non omnino excusari, quia non sunt omnino involuntaria, minui tamen, quia minuitur voluntarium. an autem usque eo minuatur, ut de mortalibus fiant venialia? dicat me doctior, aut audacior. Conformiter ad dicta S. Thomæ judico attendendum esse ad circumstantias, hæ enim in moralibus semper præ oculis habendæ, ex quibus colligetur, quomodo effectus sequentes prævisi, aut prævisu possibiles, & consequenter quomodo voluntarii, quomodo peccaminosi. Circumstantiæ sunt. E. g. indoles rixosa, 2. si soleat etiam sobrius recogitare injurias sibi illatas, motus vindictæ inde exsurgentes. 3. Societas inimicorum &c. pari modo discurrendum in materia luxuriæ, an huic vitio alias addictus, etiam morosis delectationibus tantum, an delectationibus carnalibus facile consentiens, in quo consortio fuerit &c. R. ad 3. aquam licite exhaurire potest, intendendo indemnitatem sui, & permittendo damnum proximi: ordinatus enim amor incipit a se.

II. Benno deambulans, librumque legens videt Balbutium in horto proximi sui furari, sed legere pergit cogitans: quid ad me? cum tamen facile impedire potuisset. Q. 1. an illa omissio Bennoni sit voluntaria? an etiam imputabilis? R. ad 1. affirmative: quia est cum cognitione vel advertentia, & cum positione operis contrarii, qua non vult id, quod objicitur, qui est actus proprius voluntatis, sicut velle. R. ad 2. affirmative: non quidem per justitiam nisi sit minister justitiæ, tum enim simul teneretur ad restitutionem, sed per charitatem dictantem: quod tibi vis fieri & alteri feceris; non tamen semper ejusmodi omissionem mortalem agnoscimus, etiamsi materia sit gravis. Ita mox citandus, sed considerandæ sunt circumstantiæ. *

* Pringue tom. 2. pag. 10. & 11. bene observat, quod theologi hanc imputabilitatem negantes non intelligendi sint de lege charitatis, sed justitiæ tantum. 2. quod, quando a pœnitentibus non allegatur motivum congruum, quare non impediverint damnum, quod facile impedire potuissent, interrogandi sint, an non lateat odium vel aversio erga personam damnificatam.

De causis involuntarii scilicet violentia, & metu.

III. Clotildis virgo nobilis honestissima vi oppressa concepit, hinc cum advertat se uterum gerere, omittit missam in diebus obligatoriis ex metu infamiæ, donec in castello remotiore sit enixa. Q. quid violentia? quid & quotuplex metus? quid ad casum? R. ad 1. violentia est a principio extrinseco passo non conferente vim, sive renitente. Causat involuntarium simpliciter, quia est contra omnem voluntatem. Ad 2. est instantis mali causa mentis trepitatio. Alius gravis, alius levis; gravis alius respective, alius absolute talis. Ad hunc reducitur reverentialis connexus cum gravibus minis, & offensione eorum, quibus debetur reverentia immediata a potiori, si sit connexus cum verberibus, causat involuntarium secundum quid. R. ad 1. p. casus. Si Clotildis in- & exterius restitit, quantum potuit, non peccavit, quia deest voluntas . . . Sed quomodo resistet? R. interius mentem conjungendo crucifixo, qui tali non deerit cum sua gratia, exterius autem fugiendo, si possit, percutiendo, trudendo, clamando . . . Sed quid si stuprator stringat gladium, aut quid simile ad occidendum? R. defendat se observato moderamine inculpatæ tutelæ etiam occidendo, quia jam non amplius tantum est aggressor pudicitiæ, sed & vitæ. R. ad 2. p. licite omisit sacrum (dummodo non intervenerit conscientia erronea) non ideo quasi id, quod fit ex metu, non esset voluntarium, sed quia leges positivæ, sive divinæ, sive humanæ regulariter cum tanto dispendio non obligant. Aliud foret, si ex metu infamiæ procurasset abortum, hoc enim cum sit intrinsece malum, per metum qualemcunque cohonestari nequit. Vide prop. 34. ab Innocentio XI. damnatam.

De ignorantia.

IV. Casimirus judex de scientia ad hoc officium necessaria minus habens, postquam varios commissit errores contra justitiam, monetur ab amico probo, & docto ut sibi consulat, ipsum enim in continuo versari peccato propter defectum scientiæ, hinc in proxima confessione paschali scilicet, se accusat de suis erroribus commissis, promittitque emendationem, sed postea neque debitam studet acquirere scientiam, neque officium dimittit. Q. 1. quid & quotuplex ignorantia? 2. quid ad casum? R. ignorantia est carentia scientiæ in subjecto capaci; alia privativa, alia pravæ dispositionis sive contraria,

quando

quando quis errorem contrarium habet. Alia juris, alia facti. Deinde antecedens, concomitans, consequens. Denique vincibilis & invincibilis. R. 2. ad casum. Ignorantia Casimiri fuit consequens, quia voluntaria in causa nimirum in negligentia studii. Est in se peccatum distinctum, dum versatur circa ea, quæ tenemur scire propter statum vel officium assumtum, non sic si versetur circa actum hic & nunc ponendum. Insuper semper peccat, peccato distincto, quoties circa officium delinquit, teneturque ad restitutionem si damnum tertio exinde provenerit propter rationem datam. Hæc peccata Casimiri per confessionem dictam dimissa non sunt, utpote Sacrilegam, 1. quia omisit peccatum ignorantiæ, 2. quia non habuit dolorem efficacem, ad hunc enim necesse erat, vel officium dimittere, vel saltem ejus provisionem tamdiu alteri experto committere, donec ipse necessariam acquisivisset scientiam. *

* Hæc nullatenus ad judices restricta sunto, sed ad omnes vel statum certum profitentes, vel officia gerentes ex lege naturæ extenduntor. Tales sunt confessarii, medici, chirurgi, curatores, tutores, consiliarii, advocati, procuratores, superiores, religiosi, patres familias &c.

De concupiscentia.

V. Conradus obvium sibi habet inimicum infensissimum, a quo multis antehac lacessitus injuriis, omnes tamen amore Christi tolleravit, & condonavit; nunc novis iisque gravissimis, oneratur contumeliis coram sociis, hinc præcipiti iræ impetu correptus baculo, quem manu tenet, adversarium percutit ad caput, qui statim succumbit. Q. 1. quid & quotuplex concupiscentia? 2. an mors illa sit Conrado voluntaria? ℞. ad 1. concupiscentia est motus seu passio appetitus sensitivi prosequentis bonum, prout distinguitur a motu refugiente malum, ut metus facit. Est duplex; antecedens, ut dum proposito objecto ad talem passionem alliciente commovetur passio, voluntatemque pariter movet ad idem appetendum. Altera consequens voluntatem ad objectum jam inclinatam sequens, sed inclinationem augens; prima auget voluntarium imperfectum, minuit perfectum & liberum, quia quandoque minuit, quandoque tollit judicium rationis. ℞. ad 2. si hic attendatur ad voluntarium imperfectum prout est cum cognitione finis materialiter sive quomodocunque, ut brutis convenit, non videtur dubium, quin illa mors Conrado sit voluntaria. Verum si loquamur de voluntario perfecto ac libero, quod est cum cognitione dignitatis, finis, proportionis mediorum, ac sub

indifferentia judicii, si ille subitaneus iræ impetus non omnino hoc sustulit, certe ita diminuisse videtur, ut a mortali eximat; quod inde erui potest, quia non fovit iram aut odium, quia non usus est instrumento lethali, sed ex præcipitantia iræ percussit.

De voluntario libero.

VI. Duratius ex præcedente casu lecto infert: ergo in homine lapso non datur libertas, vel erit signum sine significato, quia juxta 1. Joan. cap. 2. *omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum*, aut si detur hic titulus sine Vitulo, certe ad merendum aut demerendum non requiritur. Q. quid & quotuplex libertas? an detur? an sit necessaria ad merendum aut demerendum? ℟. libertas juxta S. Thomam in variis locis, est *vis electiva mediorum servato ordine finis*. Juxta alios dicitur: facultas, *quæ positis omnibus ad agendum requisitis potest agere vel non agere.* *

* Crisi secundæ definitionis non immoror, sed relinquo dogmaticis, quia ad rem moralem nihil facere videtur, neque hoc tempore est ad ædificationem, quo depositis omnibus litigiis scholasticis unanimiter obsistendum lupis, in vestimentis ovium venientibus, dominique ovile invadentibus.

Dividitur in eam, quæ est a coactione, & a necessitate. Hæc vocatur libertas indifferentiæ, & cum indifferentia duplex sit, scilicet ad agere vel non agere, vel ad agere oppositum, hinc etiam bifaria est libertas a necessitate, nimirum specificationis & exercitii . . . . Hanc in homine lapso dari probant leges, consilia, exhortationes, deliberationes, præmia & pœnæ, clamat experientia, qua patet, unum ab homine libere eligi, alterum relinqui, ab incepto subinde cessari, postea iterum reassumi . . . . Eandem ad me — vel demerendum requiri ostenditur hac ratione: ad me — aut demerendum requiritur actus moralis, ut actus sit moralis, necesse est, ut morum regulis dirigatur, ut autem dirigi possit, debet esse liber, actus enim necessarius, cum aliter esse nequeat, dirigi non potest. vid. prop. 3. Jansenii & 67. Baji. non tamen requiritur libertas contrarietatis, sed sufficit contradictionis, ut patet in salvatore nostro Jesu Christo, in sanctissima ejus Matre Maria, aliisque sanctis in gratia confirmatis, qui meriti, non demeriti fuere capaces . . . . jam ad Duratium: hujus illatio nulla est; ex eo enim, quod in casu legerit, per concupiscentiam antecedentem modo diminui, modo tolli libertatem, inferre debuisset; ergo datur libertas: quia quod non est,

nec

nec tolli, nec diminui poteſt. Textum S. Joannis vel non legit in fonte, vel malitioſe allegavit; etenim ſi tantum paululum elevaſſet oculos, legiſſet in præcedente verſu: *nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt.* Ad quid illa adhortatio, ſi non detur libertas?

VII. Lupus cuſtos Eccleſiæ parochialis pauperis unam caſulam, unumque calicem argenteum tamen habentis, habet concubinam, quæ ipſum multum urget ad præſtanda præſtanda, hinc cum illa concludit aufferre calicem Eccleſiæ cum caſula, quod & illa auxiliante facit effringendo Eccleſiam (clavem ſtudio omiſit, ne de ſe haberetur ſuſpicio) & hæc quidem poſt veſperam Sabbathi, ut altero die ob defectum calicis ac caſulæ populus non habuerit ſacrum. Q. quid & quotuplex circumſtantia moralis? R. eſt actus humani accidens ipſum ineſſe morum jam conſtitutum moraliter afficiens. Eſt ſeptenaria: nimirum *quis?* cuſtos Eccleſiæ. Egregius cuſtos ovium lupus ſcilicet. Addit malitiam injuſtitiæ diſtinctam ratione officii. *Quid?* calicem cum caſula. Addit malitiam ſacrilegii realis, ſimulque furtum, propter quantitatem multiplicem aggravat. *Ubi?* in Eccleſia, addit malitiam ſacrilegii localis. *Quibus auxiliis?* adjuvante concubina. Ratione inductionis addit malitiam ſcandali. *Cur?* ad præſtanda concubinæ promiſſa. Auget malitiam finis turpiſſimus operantis. *Quomodo?* effringendo Eccleſiam, addit malitiam novi ac diſtincti ſacrilegii localis, inducitque excommunicationem Papæ reſervatam. C. conquæſti 22. de ſent. excom. quia effringens & ſimul ſpolians, non ſi tantum effringens aut tantúm ſpolians fuiſſet. *Quando?* in die ſabbathi, ubi utique prævidere poterat qua cuſtos Eccleſiæ, altero die ob defectum calicis & caſulæ non poſſe haberi ſacrum, & conſequenter omnium illorum peccatorum omiſſionis ſacri cum ſua concubina ſe reum fecit. Supponitur in caſu, quod ob diſtantiam loci non poſſit aliunde haberi calix cum caſula. Ex his jam patet, quod circumſtantia adhuc dividatur in eam, quæ ſpeciem mutat, & in eam quæ mere aggravat.

VIII. Limmelius propter longum quoniam in foro deambulans videt pauperem ſeminudum, hujus miſeria commotus, cum nihil habeat, domum redit, ac hoſpitæ ſuæ roſarium argentea imagine crucifixi, aliisque ſanctorum numiſmatis pretioſis ornatum clam auffert, judæoque vendit pro vili toga, quam pauperi tradit, gaudens plane, quod nudum cooperuerit. Judæus vero cum imagine crucifixi, aliisque ſanctorum numiſmatis, antequam vendat,

dat, varia habet ludibria, blesphemiasque contra evomit. Q. 1. an deambulatio Limmelii ſit actus indifferens? R. neutiquam, ſed malus, utpote otioſus, quia non in finem honeſtum relatus eſt. *Sive manducatis*, inquit Apoſtolus. 1. Cor. cap. 10. *Sive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite* quæ in fine honeſto implicatur. Q. 2. an intentio juvandi ſeminudum cohoneſtet furtum illud? R. non; quia eſt cauſa mali, non autem ſunt facienda mala, ut eveniant bona. Apoſt. Rom. 3. . . . Supponit reſponſio, illum non eſſe vere ſed ficte indigentem extreme, uti ſubinde contingit in pauperibus in viis publicis ſe exponentibus, ſuamque paupertatem ad ſummum exaggerantibus, unde fit, quod alii in extrema neceſſitate conſtituti non attendantur. Si tamen ille pauper revera fuiſſet in extrema neceſſitate, Limmelius nihil habens ſuperflui, & quoad ſtatum, & quoad naturam, quo ſuccurreret, prius debuiſſet pro paupere illo petere, oſtendendo aliis extremam ejus neceſſitatem, quo facto, ſi nihil obtinuiſſet, quod credibile non eſt, non peccaſſet ratione furti, cum enim tunc omnia rurſus fiant communia, ſic potuiſſet pauper accipere ſibi neceſſaria, quin incurreret reatum furti, ergo & alius pro ipſo juxta regulam: quod quis per alium per ſe feciſſe cenſetur. Verum hæc omnia non exculpant Limmelium a peccatis aſſignandis in Reſp. ad 3. Q. 3. an ille eventus blasphemiarum imaginibus crucifixi, ſanctorumque illatarum addat ad malitiam? R. quis dubitat? quia prævifus & intentus ſaltem indirecte, ſi enim in Chriſtianis ſacris fuerit edoctus, poterat facile ſcire, quod Judæi contra ejusmodi ſacra, ſicut contra prototypon habeant odium implacabile. Vid. concil. Vaurenſe can. 82.

IX. Lyſias ruſticus audit Catechiſtam circa tertiam orationis dominicæ petitionem dicentem: quod debeamus omnia velle, quæcunque vult Deus. Infert Lyſias: ergo debeo velle omnia mala, quæ eveniunt, quia nihil fit niſi Deo volente. Ergo oratio dominica ſibi contradicit, cum in petitione ultima dicamus: *libera nos a malo*. Deinde obvium habet pauperem, cui dicit: libenter tibi darem, ſed ipſe ſum pauper. Q. 1. an Catechiſta bene explicuerit illam petitionem tertiam? R. negative: ſed debuiſſet dicere: debemus omnia velle, ut vult Deus, ſi tamen voluntas Dei per præceptum ſive affirmativum, ſive negativum nobis innoteſcat, poteſt enim eadem res ſub diverſis motivis modo ut bona, modo ut mala apprehendi. Et hinc ruſticus bene intulit. *

* Monen-

* Monendi hic veniunt, qui propter omissionem alicujus boni sive fortunæ, sive corporis, sive conjugis aut prolis solatium omne respuunt, ut imitentur vatem regium Lib. 2. Reg. cap. 12. VV. 22. & 23. & Hussiticum. cap. 1. v. 21.

Q. 2. an per voluntatem dandi elemosinam Lysias acquisiverit meritum elemosinæ? ℞. affirmative quoad meritum essentiale: si voluntas fuerit efficax, ut data oportunitate esset operata, quia nihil in executione, quin prius in intentione: intentio autem est anima executionis. Non tamen quoad meritum accidentale, e. g. indulgentias; hæ enim operi, non voluntati annectuntur.

§. II.

De conscientia, sive proxima actuum humanorum regula, de erronea.

1. Bolena conjugata confitetur, se ex oblivione omisisse aliquando, quod, dum esset soluta, sit fornicata; inter quæstiones desuper factas invenit confessarius, quod cum consanguineo mariti in secundo gradu. 2. dicit: cum nuper essem gravida, ex appetitu subito me invadente in die Sabathi manducavi carnes, cogitavi quidem non esse licitum, sed sic perrexi. 3. addit: sum etiam valde aversa a meo marito, sed nescio quare. Et hinc 4. variis vicibus denegavi debitum conjugale. Dum confessor vult dicere dicenda, intervenit Bolena: adhuc unum. 5. Etiam dubito de valore mei matrimonii. Q. confessor: quare? ℞. Bolena, quia sic sum aversa a meo marito. Reponit confessor, nihil est. Q. 1. quid & quotuplex conscientia? ℞. est judicium intellectus practici dictans ex principiis communibus aliquid in particulari faciendum ut bonum, vel fugiendum ut malum. Alia vera, alia erronea, recta, falsa, certa, probabilis, dubia, scrupulosa, perplexa, laxa, pharisaica. Q. 2. an confessor debeat monere errantem? ℞. si pœnitens erret vincibiliter, absolute monendus est, sit vel non sit spes emendationis, quia est in malo statu, cum etiam sine monitione peccet formaliter, & sit periturus, qui tamen per monitionem forte salvandus. Si vero erret invincibiliter. ℞. vel est spes emendationis, nec graviora sequuntur incommoda, moneatur, quia confessor qua doctor & medicus debet etiam peccata materialia a suo cliente avertere. Secus non . . . . Sed quandonam judicandus errare vincibiliter? ℞. quando anxiatur, interrogat, dubitat, ex credulitate tamen *approbabili & discreta*, ut loquitur Innocentius III. *cap. inquisitione de sent.*